

1614.
Pape V. Bre-
vium, &
Missale refor-
mavit.

Clemens
VIII. Pontifi-
cale, & Cae-
remoniale pro
Episcopis, &
Prelatis res-
titutum edit.

Hic modo
Pont. Rituale
Rom. praevia
diligenti exa-
minatione edi-
di, & serva-
rimandar.

Prelatos, &
alios ut in Sa-
cros. Functio-
nibus eo us-
que hauratur.

Prædecessor noster, huius Nostris, tunc
sui, officii memor, ad restituendam sacro-
rum rituum observationem in sacrosancto
Missæ sacrificio, divinoque officio, & si-
mul ut Catholica Ecclesia in fidei unitate,
ac sub uno visibili capite Beati Petri succes-
sore Romano Pontifice congregata, unum
psallendi, & orandi ordinem, quantum
cum Domino poterat, teneret, Brevia-
rium primum, & deinde Missale Romana
multo studio, & diligentia elaborata, pa-
storali providentia edenda censuit.

§. 2. Cujus vestigia eodem sapientie
spiritu secutus, similis mem. Clemens Papa
VIII. etiam prædecessor noster, non solum
Episcopis, & inferioribus Ecclesiæ Prelatis
accurate restitutum Pontificale dedit sed
etiam complures alias in Cathedralibus, &
inferioribus Ecclesiis caeremonias, promul-
gato Caeremoniali ordinavit.

§. 3. His ita constitutis, restabat, ut
uno etiam volumine comprehensis, sacri,
& sinceri Ecclesiæ Catholice ritus, qui in
Sacramentorum administratione, aliisque
Ecclesiasticis functionibus servari debent
ab iis, qui curam animarum gerunt, Apo-
stolice Sedis auctoritate prædicerent, ad
cujus voluminis præscriptum in tanta Ritua-
lium multitudine, sua illi ministeria, tam-
quam ad publicam, & obsequatam nor-
mam peragerent, unoque, ac fideli ductu,
inoffenso pede ambularent cum consensu.
Quod sane jampridem agitatum negocium
postea quam generalium Conciliorum Gra-
ecæ, Latineque divina gratia editorum opus
morari desivit, sollicite urgere nostri mu-
neris esse existimavimus. Ut autem recte,
& ordine, ut par erat, res ageretur nonnul-
lis ex Ven. Fratribus nostris S. R. E. Cardi-
nalibus pietate, doctrina, & prudentia præ-
stantibus, eam demandavimus, qui cum
consilio eruditorum virorum, variis præ-
sertim antiquis, & quæ circumferuntur,
ritualibus consultis, eoque in primis, quod
vir singulari pietatis zelo, & doctrina bo-
nem: Julius Antonius S. R. E. Cardinalis
S. Severinæ nuncupatus, longo studio, mul-
taque industria, & labore plenissimum com-
posuerat, rebusque omnibus mature consi-
deratis, demum divina aspirante clementia,
quanta oportuit brevitate, Rituale conse-
cerunt, in quo cum receptos, & approba-
tos Catholicæ Ecclesiæ ritus suo ordine id-
gestos, conspexerimus, illud sub nomine
Ritualis Romani merito edendum publico
Ecclesiæ Dei bono judicavimus.

§. 4. Quapropter hortamur in Domino
Ven. Fratres Patriarchas, Archiepiscopos,
Episcopos, & dilectos filios eorum Vicarios,
nec non Abbates, Parochos universos, ubi-
que locorum existentes, & alios, ad quos
spectat, ut in posterum tamquam Ecclesiæ
Romane filii ejusdem Ecclesiæ omnium
Matris, & Magistra auctoritate constituto
Ritu in sacris functionibus utantur, & in-
re tanti momenti, quæ Catholica Ecclesiæ,
& ab ea probatus usus antiquitatis statuit,
inviolata observent.

Datum Tusculi sub Annulo Pisca-

toris, die 20. Julii 1614. Pontificatus nostri
Anno Decimo.

CCXXXIII.

Monetur Episcopus Cenetensis, ne quid
ab ullo, in suæ Ecclesiæ, & Sedis apo-
stolice præjudicium, attentari patia-
tur; aut consensum præstet.

Venerabili Fratri Leonardo Episcopo
Cenetensi.

PAULUS PAPA QUINTUS

Venerabilis Frater salutem, & Apostoli-
cam benedictionem.

§. 1. **A**lias cum civitas Ceneten. etiam
in temporalibus tibi, & pro
tempore existenti Episcopo Cenetensi ple-
no jure subiecta esset, prout ad præsens
est, & ideo appellationes à sententiis pro
tempore in Tribunali Curie Episcopalis
Ceneten. latis, etiam in causis mere pro-
phanis, tam civilibus, quam criminali-
bus, ipso jure ad Superiores suos eccle-
siasticos devolverentur, & in causis hu-
jusmodi Ecclesia Ceneten. in quasi posses-
sione existeret, prout ad præsens existit,
fel. rec. Clemens Papa VIII. prædecessor
noster providere volens, ne appellatio-
nes hujusmodi ad alios quoscumque, præ-
terquam ad suos Superiores ecclesiasti-
cos, à quoquam temere interponeren-
tur, universos, & singulos Cives, In-
colas, & habitatores civitatis Ceneten.
tuæ, & dicti Episcopi Cenetensis pro tem-
pore existentis non solum spirituali, sed
etiam temporalis jurisdictioni subiectos,
per suas in hujusmodi forma Brevis expeditas
litteras sub Dei Omnipotentis, ac
Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum,
ejus, ac suæ indignationis, necnon ex-
communicationis late sententiæ poenis,
à quibus non nisi à se, & Sede prædicta,
præterquam in mortis articulo quisquam
absolvi posset, monuit, eisdemque uni-
versis, & singulis districtè præcipiendo
mandavit, ne quisquam eorum à quibus-
vis sententiis in Tribunali dictæ Curie
Episcopalis super quibusvis causis, etiam
merè prophanis, tam civilibus, quam
criminalibus eo usque latis, aut deinceps
ex tunc in perpetuum quodcumque fe-
rendis, appellationes ad quoscumque
Judices, seculares etiam Principes, &
Senatum, Rempubliam, seu quoscum-
que alios, cujuscumque illi gradus, di-
gnitatis, & conditionis forent, etiam
Ducali, Regali, vel Imperiali dignitate
præfulgentes interponere auderent, seu
præsumerent, sed ad suos Superiores Ec-
clesiasticos, ad quos cognitio causarum
dictarum appellationum pertinet, illas
interponere omnino deberent, annullans
etiam de plenitudine potestatis, ac irrita
declarans quæcumque Decreta, leges, &
Or.

Dat. dictorū
Junii 1614.
An. X.

Ex Regest. i.
Secret. hinc

Clemens VIII
sub excom-
municationis
pena cavet,
quod minus à
subditis Ec-
clesiæ Cene-
ten. appella-
tiones ad quos-
cumque lai-
cam potesta-
tem interpo-
nentur.

Paulus quo-
que V. quid-
quam contra
jura illius Ec-
clesiæ arrepta,
si sub eadem
pena prohib-
uit.

Et ea, quæ
fecerant, at-
tentata, irri-
cavit.

Ordinationes in contrarium quomodoli-
bet facta, seu imposterum facienda, nec-
non appellationes ad prædictos, & alios
quoscumque Judices seculares interposi-
tas, seu tunc interponendas cum omni-
bus inde sequentibus, & sequentibus, nulliusque
roboris, & momenti, ac minimè atten-
denda esse: Sicque per quoscumque Judi-
ces ordinarios, & delegatos, etiam Cau-
sarum Palatii Apostolici Auditores, ac
S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum
cuilibet quavis aliter judicandi, & inter-
pretandi facultate, & auctoritate ubique
judicari, & definiti debere decernens,
& alia disponens, & ordinans.

§. 2. Et subinde per nos accepto, quod
nonnulli nedum contra dictarum litera-
rum tenorem, & prohibitionem, sed alia
etiam attentare tractabant, seu jam for-
san attentaverant in auctoritatis ecclesi-
asticæ, & Sedis apostolice, ac dictæ Ec-
clesiæ Cenetensis, illarumque jurium præ-
judicium: Nos iidem Clementis Prædeces-
soris vestigiis inherentes, omnibus, &
singulis personis in dictis literis expressis,
aut quomodolibet comprehensis, sub eisdem
Dei Omnipotentis, ac Beatorum
Apostolorum Petri, & Pauli, & nostræ
indignationis, necnon excommunicationis
ipso facto incurrendis poenis, à qui-
bus non nisi à nobis, & Sede prædicta, præ-
terquam in mortis articulo constitutus
quisquam absolvi posset, mandavimus,
ne eorum quisquam per se, vel alium,
seu alios, directe, vel indirecte, seu alias
quomodolibet contra prædictarum litera-
rum tenorem, aut alias quomodocum-
que, & qualitercumque, quidquam face-
re, vel alio quocumque modo in aucto-
ritatis ecclesiasticæ, ac Sedis apostolice,
& dictæ Ecclesiæ Ceneten. illarumque ju-
rium præjudicium attentare, aut innovare
præsumeret: immò, si quid in contra-
rium tunc forsitan attentatum esset, aut
imposterum attentaretur, vel innovaretur,
illud etiam ex tunc, prout postquam
attentatum, seu innovatum fuisset, cum
omnibus inde sequentibus, & sequentibus de
apostolice plenitudine potestatis, irritavi-
mus, & annullavimus, ac nullius robo-
ris, & momenti esse, & fore, irritum-
que, & inane, quidquid secus super his à
quoquam, quavis auctoritate, scienter,
vel ignoranter contingerit attentari, de-
crevimus, & declaravimus.

§. 3. Ac demum, cum ad notitiam
nostram pervenisset, quod nonnulli con-
tra prædictarum Clementis Prædeces-
soris, & nostrarum literarum prohibiti-
ones, mandata, Decreta, & declarati-
ones, & alias in grave præjudicium jurium,
& auctoritatis ecclesiasticæ, ac Sedis, &
Ecclesiæ prædictarum alia attentaverant,
& innovaverant: Nos, sub ejusdem Om-
nipotentis Dei, & Domini nostri Jesu
Christi, ac Beatorum apostolorum Pe-
tri, & Pauli, & nostræ indignationis,
necnon excommunicationis ipso facto in-
currendis poenis, à quibus non nisi à no-
bis, & Sede prædicta, præterquam in
mortis articulo constitutus quisquam ab-
solvi posset, omnibus, & singulis perso-
nis in literis Clementis Prædeces-
soris, & nostris prædictis quomodolibet compræ-
hensis, iterum districtè præcipiendo man-
dantes, ne eorum quisquam per se, vel
alium, seu alios sub quocumque pretextu,
aut colore, directe, vel indirecte, aut
alias quomodocumque contra Clemen-
tis Prædeces-
soris, & nostrarum literarum hujusmodi apostolicas prohibiti-
ones, mandata, decreta, & declarati-
ones, aut earundem literarum tenorem,
seu alias auctoritatem ecclesiasticam, ac
Sedis apostolice, & Ecclesiæ Ceneten.
jurium præjudicium quidquam attentare,
aut innovare, seu quomodocumque, &
qualitercumque facere præsumeret, quid-
quid eatenus tam post Clementis Præde-
cessoris, quam nostras literas prædictas
contra ejusdem Clementis, & literarum
nostrarum hujusmodi apostolicas prohibi-
tiones, mandata, decreta, & declara-
tiones, aut earundem literarum tenorem,
seu alias contra auctoritatem eccle-
siasticam, & Sedis apostolice, & Ec-
clesiæ Cenetensis hujusmodi jura, attentatum,
innovatum, aut quomodolibet factum
erat, aut imposterum attentaretur, seu
innovaretur, aut fieret, directe, vel
indirecte, illud, ac omnia, & singula inde
sequuta, & sequutura, de apostolice po-
testatis plenitudine irrita, & inania, ac
nullius roboris, & momenti esse, & fore:
sicque per quoscumque Judices ordi-
narios, & delegatos, etiam Casuarum
Palatii apostolici Auditores, & S. R. E.
Cardinales, sublata eis, & eorum cui-
bet quavis aliter judicandi, & interpre-
tandi facultate, & auctoritate, judicari,
& definiti debere, ac irritum, & inane
si secus super his à quoquam, quavis au-
thoritate, scienter, vel ignoranter con-
tingerit attentari, pariter decrevimus, &
declaravimus, & alias, prout in dicti
Clementis Prædeces-
soris sub die 23. Decembris 1600. & nostris sub 21. Maii
1611. ac 11. diebus Januarii præsentis An-
ni desuper etiam in hujusmodi forma Brevis
expeditis literis, quarum tenores præsentibus
pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

§. 4. Nunc autem, licet te officii tui
memorem in præmissis, & circa ea futu-
rum non diffidimus, tamen, ut mun-
eris nostri debito per amplius satisfaciamus:
Tibi sub ejusdem Omnipotentis
Dei, & Domini nostri Jesu Christi iusti
Judicis, qui retributurus est unicuique
juxta opera sua, ac Beatorum Petri, &
Pauli, & nostræ indignationis, necnon
excommunicationis ipso facto incurren-
dis poenis, à quibus non nisi à nobis, &
Sede prædicta, præterquam in mortis ar-
ticulo constitutus absolvi possis, districtè
præcipiendo mandamus, ne attentatio-

ni,
V

Monet Episco-
pum, ne hu-
jusmodi atten-
tatis sub iis-
dem poenis
præstet assen-
sum.

ni, seu innovationi per quoscumque, quovis quaesito colore, ingenio, vel prae-textu, & ex quacumque causa contra eju-sdem Clementis, & literarum nostrarum huiusmodi apostolicas prohibitiones, mandata, decreta, & declarationes, aut earumdem literarum tenorem, seu alias contra auctoritatem ecclesiasticam, ac Sedis apostolicae, & Ecclesiae Ceneten. huiusmodi iura directe, vel indirecte, facta, vel facienda, tacite, vel expresse ullo modo, ullave forma consentias, seu consensum quomodolibet praestes, nos enim ex nunc irritos decernimus, & inanes quoscumque consensus, & actus desuper per te quomodolibet praestitos, & factos, ac irritum similiter, & inane quidquid per te contra praedictarum, & praesentium literarum tenores fieri contigerit, & attentari.

Derogat con-trariis.

Dat. die 27 Junii 1614. An.X.

§.5. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis literis volumus non obsta-re, ceterisque contrariis quibuscumque, Datum Tusculi sub Annulo Piscatoris, die 21. Junii 1614. Pontificatus nostri Anno Decimo.

CCXXXIV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Vicariis Generali, & Foraneo, Auditoribus, aliisque Officialibus Episcopi Cenetenensis praecipitur, ne aliquid in Ecclesia Ceneten., Sedis apostolicae, & ecclesiasticae auctoritatis praedictarum, innovent, minusque ab aliis innovari consentiant, seu permittant.

Dilectis filiis Vicariis Generali, & Foraneo, Auditoribusque, & aliis quibuscumque Officialibus quovis nomine nuncupentur Venerabilis Fratris nunc, & pro tempore existentis Episcopi Ecclesiae Cenetenensis.

PAULUS PAPA QUINTUS

Dilectis filiis salutem, & apostolicam benedictionem.

Civitas Cenetenensis in spiri-tualibus, & temporalibus Episcopo sub-jecta.

§.1. CUM Civitas Cenetenensis pro tem-pore existenti Episcopo Cenetenensi etiam in temporalibus pleno jure subiecta sit, & proinde tam a fel. rec. Clemente Papa VIII. Praedecessore nostro, quam a nobis per diversas in simili forma Brevis desuper expeditas literas quibus-cumque personis, quavis auctoritate suf-fultis, etiam sub excommunicationis la-tae sententiae poena, a qua non nisi a Roma-no Pontifice, praeterquam in mortis arti-culo absolvi possint, & expresse prohibi-tum fuerit, ne appellationes a senten-tiis in Tribunali Curiae Episcopalis Cenetenensis in quibusvis causis etiam mere pro-phanis pro tempore latis, ad Iudices saeculares quoscumque etiam Principes, Senatum, & Rempublicam, aut alios, quam Superiores ecclesiasticos interponerent, minusque quidquam quovis modo in au-

toritatis ecclesiasticae, & Sedis apostoli-cae, ac Ecclesiae Ceneten. praedictarum, quomodolibet attentare, aut innovare praesumerent, irritanti decreto desuper apposito, prout in dictis literis plenius continetur.

Preceptum, de quo in ru-brica.

§.2. Nihilominus, iustis de causis animi nostrum moventibus, vobis omnibus, & vestrum cuilibet, sub Omnipotentis Dei, & Domini Nostri Jesu Christi iusti Iudicis, qui retributus est unicuique secundum opera sua, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, & nostrae indignationis, necnon excommunicationis ipso facto incur-rendis poenis, a quibus non nisi a Nobis, & Sede Apostolica, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi possitis, distri-cte praecipiendo mandamus, ne vos, vel vestrum quispiam, quovis quaesito colore, ingenio, vel prae-textu, aut ex quacumque causa, contra eju-sdem Clementis, & no-strarum literarum huiusmodi Apostolicas prohibitiones, mandata, decreta, & de-clarationes, aut earumdem literarum tenorem, vel alias quomodolibet, contra au-toritatem ecclesiasticam, ac Sedis Apo-stolicae, & Ecclesiae Cenetenensis huiusmodi iura, directe, vel indirecte, tacite, vel expresse, per se, vel per alium attentare, innovare, facere, & committere, seu at-tentanti, innovanti, aut committenti con-sentire audeatis, vel praesumatis: irritum nihilominus decernentes, & inane quid quod per vos, & vestrum quemlibet, ut praefertur, innovari, seu fieri contra praedictarum, ac praesentium literarum tenorem attentari contigerit.

Derogatio contrariis.

§.3. Non obstantibus omnibus illis, quae in dictis literis volumus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 27. Junii 1614. Pontificatus nostri Anno X.

Dat. die 27 Junii 1614. An.X.

CCXXXV.

Unio Provinciarum de Peraiba, Itamaraca, & Rio grande Provinciae de Pernambuco in Indiis Occidentalibus.

Ex Regest. in Secret. Brev.

PAULUS PAPA QUINTUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

IN supereminenti militantis Ecclesiae spe-cula, meritis licet imparibus, divina dispositione praesidentes ad universa Orbis loca potissimum Omnipotentis Dei misericordia per Catholicos Reges, & Principes fidei catholicae praedicationi patefacta aciem nostrae meditationis intendimus, & ut in locis huiusmodi plantetur, & plantata confirmetur Christi Religio, eorumque incolae, & habitatores propriorum Pastorum assis-tentia, & regimine suffulti proficiant semper in fide, & operibus christianis, opem, & operam libenter impendimus efficacem, prout eorumdem Regum exposcit devotio, Nos-

Nosque locorum, & rerum circumstantiis mature pensatis ad fidei orthodoxae conserva-tionem, & propagationem, animarumque salutem, & profectum prospicimus in Do-mino salubriter expedire.

Paulus Pro-vinciam de Pernambuco ab Ecclesia S. Salvatoris se-parans in Vi-cariam ere-xerat.

§.1. Alias siquidem, postquam in parti-bus Indiarum Occidentalium Cathedralis Ecclesia Sancti Salvatoris Apostolica aucto-ritate erecta, & illa pro parte Dicecesis, & Cleri, ac Populi Provinciae de Pernambuco vulgo nuncupat. concessa, & assignata fue-rat, pro parte Charissimi in Christo filii No-stri Philippi Portugalliae, & Algarbiorum. Regis Catholici Nobis exposito, quod pro tempore existens Episcopus Sancti Salvato-ris ob dictae Provinciae de Pernambuco dis-tantiam, marisque incommo-dam, ac diffi-cilem, & dispendiosam navigationem, Piratarumque illic discurrantium periculum curae, regimini, & administrationi sui gre-gis in dicta Provincia consistentis non sine illius salutis dispendio intendere nequibat, hincque incolae, & habitatores dictae Pro-vinciae, nec fidei doctrina, nec pie vivendi praecceptis instrui, nec si quid deliquerant, corrigi ab Episcopo suo poterant, & pro-pterea si dicta Provincia de Pernambuco a praedicta Ecclesia Sancti Salvatoris sepa-raretur, & dismembraretur, illaque sic se-parata, & dismembrata in Vicariam, seu administrationem spiritualem Provinciae de Pernambuco nuncupan. pro uno Vicario, seu Administratore in spiritualibus Provin-ciae de Pernambuco nuncupan. qui inibi omnimodam spiritualem, & ecclesiasticam, ac ordinariam, & quasi Episcopalem Juris-dictionem tam in foro interiori, quam ex-teriori haberet, & exerceret, erigeretur, & institueretur, ex hoc Provincia de Per-nambuco huiusmodi felicioribus proficeret incrementis, illiusque Cleri, & Populi praedictorum salutem, & dictae fidei profectui, & exaltationi, divinique cultus incremento, ac tot incommodis, & animarum periculis opportune consuleretur: Nos dicti Philippi Regis supplicationibus Nobis super hoc hu-militer porrectis inclinatis, ad Omnipotentis Dei laudem, & gloriam, ac gloriosissimae ejus Genetricis Mariae, totiusque Curiae caelestis honorem, & ipsius fidei catholicae exaltationem dictam Provinciam de Per-nambuco cum illius Territorio, Oppidis, Villis, locis, nec non Clero, & Populo, & personis, ac Monasteriis, Ecclesiis, Colle-giis, & piis locis, ac Beneficiis ecclesiasticis secularibus, ac quorumvis Ordinum Regu-laribus ab Ecclesia Sancti Salvatoris, & Dice-cesis praedictis perpetuo separavimus, & dis-membravimus ab omni jurisdictione, sub-jectione, & superioritate, correctione, vi-sitatione, & potestate pro tempore existen-tis Episcopi Sancti Salvatoris, ejusque Vica-riorum, & Officialium, ac a solutione ju-ris quorumcumque eidem Episcopo, & dilectis filiis Capitulo dictae Ecclesiae Sancti Salvatoris per Clerum, Populum, & per-sonas Provinciae de Pernambuco huiusmodi ratione subjectionis, jurisdictionis, supe-rioritatis, aut visitationis, etiam Dicecesis,

ita quod ex tunc de caetero praedictus Episco-pus S. Salvatoris aliquam Jurisdictionem, spiritualem, praeterquam in his, quae sunt Ordinis in Oppida, terminos, Territoria, Villas, & loca, nec non Beneficia sub sepa-ratione, & dismembratione huiusmodi com-praehensa exercere, nec eadem Beneficia, quae antea ad ipsius collationem, provisionem, institutionem, vel quamlibet aliam dispositionem pertinebant, conferre, seu de illis etiam providere, aut alias disponere, vel fructus, redditus, proventus, jura, ob-ventiones, & emolumenta per eum in Pro-vincia de Pernambuco, illiusque terminis, Territoriis, Oppidis, Villis, & locis praedictis ratione visitationis, aut legis Dicecesis percipere nullatenus possit, apostolica au-toritate perpetuo exemimus, & totaliter liberavimus, ipsamque Provinciam de Per-nambuco sic dismembratam, & separatam in Vicariam, seu administrationem spiritua-lem Provinciae de Pernambuco nuncupan. pro uno Presbytero seculari, vel cujusvis Ordinis Regulari Vicario, seu Administra-tore in spiritualibus Provinciae de Pernam-buco nuncupando in Theologia, seu Decre-tis graduato, vel alias praevio examine, seu iudicio deputatorum Senatus Mensae Regiae conscientiae, & Ordinum Militarium, in quo quamplures viri tam seculares, quam Regulares literarum scientia, & virtute in-signes reperiantur, habili, & idoneo ad alios docendum approbato, ac per ipsum Philip-pum, & pro tempore existentem Portugalliae, & Algarbiorum Regem perpetuis fu-turis temporibus, etiam ad tempus sibi bene-vifum deputando, & constituendo, qui deputationes, & constitutiones huiusmodi vigore, absque alia Romani Pontificis, vel Episcopi Sancti Salvatoris pro tempore ex-istentium, aut cujusvis alterius confirma-tione, approbatione, licentia, vel consensu curam, regimen, & administrationem Provinciae de Pernambuco, & Cleri, ac Po-puli tam christiani, quam gentilis, nec non Oppidorum, Terrarum, & locorum in illius districtu, limitibus, terminis, & locis praedictis consisten. habere, & inibi praedicare, & praedicari faceret, gentilesque praedictos ad orthodoxae fidei cultum convertere, procurare, & conversos in eadem fide instruere, & confirmare, eisque Baptismi gratiam, & confirmationis Sacramentum impendere, & tam illis sic conversis, quam aliis omnibus fidelibus in Provincia de Per-nambuco, ac illius Oppidis, Terris, Villis, locis, Territoriis, limitibus, & tam praedi-ctis pro tempore degen., quam ad ea decli-nantibus Sacramenta ecclesiastica, & aliis spiritualia munera, non tamen ea, quae sunt Ordinis, ut praefertur, ministrare, & ad-mistrari etiam facere, & procurare, ac quaecumque Beneficia ecclesiastica sub sepa-ratione, & dismembratione huiusmodi com-praehensa, & quae antea ad ipsius Episcopi S. Salvatoris collationem, provisionem, institutionem, seu quamvis aliam dispositio-nem pertinebant, conferre, & de illis dispo-nere, ac in eis instituire, Calices, Campa-

nas, vestimenta, Corporalia, & alia paramenta, & ornamenta consecrare, & benedicere, Ecclesias, Coemeteria, & loca ecclesiastica sanguinis, & feminis effusione, five alijs quomodolibet polluta, vel profanata aqua per se ipsum benedicta reconciliare, ipsasque Ecclesias, & loca sub Provincia de Pernambuco praedicta comprehensa, & illorum personas visitare, ac in illorum statum, Regimen, Statuta, consuetudines vitam, mores, ritus, delicta, & disciplinam tam in capite, quam in membris inquirere, necnon Evangelicam, & Apostolicam doctrinam, sacrorumque Canonum, & generalium Conciliorum Decretis, & institutis inharendo, quaecumque mutatione, correctione, emendatione, punitione, revocatione, ac etiam ex integro editione indigere cognovisset, reformare, mutare, corrigere, punire, & etiam de novo condere, nec non beneficiales, matrimonialesque, & quascumque alias causas ecclesiasticas, & civiles, & ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes motas, & inchoatas, ac interim movendas, cum earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis, & connexis audire, decidere, & sine debito terminare, prout juris fuisset, seu causas ipsas alii, vel alio modo, & forma praedictis cum simili, vel limitata potestate pariter audire, deciden., & terminan., delegare, ac denique plenam, & meram, & omnimodam spirituales, & ecclesiasticas, ac ordinariam jurisdictionem tam in foro interiori, quam exteriori habere, ac eam, & omnia alia, & singula, quae pro tempore existens Episcopus S. Salvatoris in illis partibus eatenus habere, gerere, & exercere debeuerat, potuerat, & convenerat, similiter, & pariformiter nulla prorsus differentia, exceptis tamen iis, quae, ut dictum est, sunt Ordinis, prout divini cultus augmento, ac ipsorum Cleri, & Populi animarum saluti expedire cognovisset, gerere, exercere, facere, & exequi cum omnibus, & singulis alijs privilegijs, facultatibus, exemptionibus, libertatibus, Jurisdictionibus, praeeminentijs, favoribus, gratijs, & Indultis, qui in de Ormuz, & Mozambique, & Cosala, necnon Maluco, alijsque Provinciis, & locis erectae administrationes, & illarum pro tempore deputati Administratores similiter ordinariam, ut praefertur, Jurisdictionem inibi habentes utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt, dicta auctoritate similiter perpetuo existimus, & institutum, & alijs, prout in alijs Nostris desuper in simili forma Brevis sub die 12. Augusti 1611. expeditis literis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Iisdem concurrentibus causis etiam quoad Provincias de Peraiba, Itamaraca, Riogrande, & Maranham.

§. 2. Cum autem, sicut dicti Philippi Regis nomine Nobis denuo expositum fuit, postmodum ad ejusdem Philippi Regis notitiam devenerit, quod Provincia Capitaneae vulgo nuncupatae de Peraiba, Itamaraca, & Riogrande, & Maranham dictae Ecclesiae Sancti Salvatoris etiam pro parte Diocesis, & Cleri, ac populi assignata

longiori itinere, quam dicta Provincia de Pernambuco ab eadem Ecclesia Sancti Salvatoris distent, & propterea pro tempore existens Episcopus Sancti Salvatoris ob distantiam hujusmodi, marisque incommo- dam, ac difficilem, & dispendiosam navigationem, piratarumque illic discurrentium periculum curae, regimini, & administrationi sui gregis in dictis provinciis existentis, prout ejus pastoralis officio incumbit, sine illius salutis dispendio intendere nequeat, hincque incolae, & Habitatores dictarum Provinciarum nec fidei doctrina, nec pie vivendi praecipis instrui, nec siquid deliquerint, corrigi ab Episcopo suo possint, & propterea si dicta Provincia de Peraiba, Itamaraca, & Riogrande a praedicta Ecclesia Sancti Salvatoris etiam separarentur, & dismembrarentur, illaque sic separata, & dismembrata dictae Provinciae de Pernambuco ab illius Vicario, seu administratore gubernanda unirentur, & adungerentur, ex hoc dictae Provinciae de Peraiba, Itamaraca, & Riogrande, & de Maranham felicioribus proficerent incrementis, illarumque Cleri, & Populi salutis, & dictae fidei profectui, ac exaltationi, divinique cultus incremento, ac tot incommodis, animarumque periculis opportune consulere.

§. 3. Quare idem Philippus Rex nobis humiliter supplicari fecit, quatenus eadem Provincias de Peraiba, Itamaraca, & Riogrande, & de Maranham ab Ecclesia, & Diocesi Sancti Salvatoris hujusmodi perpetuo separare, & dismembrare, illaque dictae Provinciae de Pernambuco ab eodem Vicario, seu administratore in spiritualibus regendas, & administrandas unire, & adungere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 4. Nos igitur, qui fidei cultum, & incrementum, ac locorum quorumlibet salutarem directionem cum animarum Christi fidelium salute, & spirituali consolatione intentis desideramus affectibus, quascumque alias dismembrationes aliarum Provinciarum, & locorum ab Ecclesia, & Diocesi praedictis haecenus apostolica auctoritate factas praesentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ad Omnipotentis Dei laudem, & gloriam, ac Gloriosissimae ejus genetricis Mariae, totiusque Curiae Caestis honorem, ac ipsius fidei catholicae exaltationem dictas Provincias Capitaneas vulgo nuncupatas de Peraiba, Itamaraca, & Riogrande, & de Maranham cum illarum territorijs, Oppidis, Villis, locis, necnon Clero, & Populo, ac personis, Monasterijs, Ecclesijs, Collegijs, & pijs locis, necnon Beneficijs Ecclesiasticis secularibus, & quorumvis Ordinum regularibus ab Ecclesia Sancti Salvatoris, & Diocesi praedictis perpetuo separamus, & dismembramus, ac ab omni Jurisdictione, subiectione, superioritate, correctione, visitatione, & potestate pro tempore existentis Episcopi Sancti Salvatoris, ejusque Vicariorum, & Officialium, nec non etiam a solutione quo-

Philippus Rex eas ab eadem Ecclesia sejungit, & Provincias de Pernambuco petit uniri.

Pontifex separavit, ac respective uniri.

rumcumque Jurium eidem Episcopo, & dilectis filiis Capitulo dictae Ecclesiae Sancti Salvatoris per Clerum, Populum, & personas Provinciarum de Peraiba, Itamaraca, & Riogrande, & de Maranham hujusmodi ratione subiectionis, Jurisdictionis, superioritatis, aut visitationis, & Diocesis, itaque de cetero praedictus Episcopus Sancti Salvatoris aliquam Jurisdictionem spirituales praeterquam in his, quae sunt Ordinis, ac demptis inferius expressis, in Oppida, terminos, territoria, Villas, & loca, ac Clerum, Populum, personas, Monasteria, Ecclesias, & loca pia, necnon Beneficia sub separatione, & dismembratione hujusmodi comprehensa exercere, nec eadem Beneficia, quae antea ad ipsius collationem, provisionem, institutionem, vel quamlibet aliam dispositionem pertinebant, conferre, seu de illis etiam providere, aut alias disponere, vel fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, & emolumenta per eum in Provinciis de Peraiba, Itamaraca, & Riogrande, & de Maranham, illarumque terminis, Oppidis, territorijs, villis, & locis praedictis ratione Visitacionis, aut legis Diocesis percipere nullatenus possit, dicta auctoritate perpetuo existimus, & totaliter liberamus, ipsasque Provincias de Peraiba, Itamaraca, & Riogrande, & de Maranham sic dismembratas, & separatas dictae Provinciae de Pernambuco per ejusdem Provinciae de Pernambuco Vicarium, seu Administratorem in spiritualibus ad instar dictae Provinciae de Pernambuco in omnibus, & per omnia, ac juxta facultates dicto Vicario, seu administratori per nos, ut supra, concessas, regendas, & gubernandas auctoritate, & tenore praedictis unimus, & adjungimus.

Vicario opportunas concedit facultates.

§. 5. Itaut Vicarius, seu Administrator hujusmodi, etiam curam, regimen, & administrationem Provinciarum de Peraiba, Itamaraca, & Riogrande hujusmodi, ac Cleri, & Populi tam Christiani, quam gentilis, necnon Oppidorum, Terrarum, & locorum in illarum districtu, limitibus, terminis, & locis praedictis consisten. habere, & inibi praedicari facere, gentilesque praedictos ad orthodoxae fidei cultum convertere procurare, conversosque in eadem fide instruere, & confirmare, eisque Baptismi gratiam, & confirmationis Sacramentum impendere, ac tam illis sic conversis, quam alijs omnibus fidelibus in Provinciis de Peraiba, Itamaraca, & Riogrande, ac illarum Oppidis, Terris, Villis, locis, Territorijs, limitibus, nunc, & pro tempore degen., & ad ea declinantibus Sacramenta Ecclesiastica, & alia spiritualia munera, non tamen ea, quae sunt Ordinis, ministrare, & administrari etiam facere, & procurare, ac quaecumque Beneficia Ecclesiastica sub separatione, & dismembratione hujusmodi comprehensa, & quae antea ad ipsius Episcopi Sancti Salvatoris collationem, provisionem institutionem, seu quamvis aliam dispositionem pertinebant, conferre, & de illis disponere, ac in eis instituire, Calices quo-

que, Campanas, vestimenta, Corporalia, & alia paramenta, & ornamenta consecrare, & benedicere, Ecclesias, Coemeteria, & loca Ecclesiastica sanguinis, aut feminis effusione, five alijs quomodolibet polluta, & profanata aqua per se ipsum benedicta reconciliare, ipsasque Ecclesias, & loca sub Provinciis de Peraiba, Itamaraca, & Riogrande, & de Maranham praedictis comprehensa, & illorum personas visitare, ac in illorum statum, Regimen, Statuta, consuetudines, vitam, ritus, mores, delicta, & disciplinam tam in capite, quam in membris inquirere, Evangelicam, & Apostolicam doctrinam, sacrorumque Canonum, & generalium Conciliorum Decretis, & institutis inharendo quaecumque mutatione, correctione, emendatione, punitione, revocatione, & ex integro editione indigere cognoverit, reformare, mutare, corrigere, punire, & de novo condere, nec non beneficiales, matrimoniales, & quascumque alias causas Ecclesiasticas, & civiles, ac ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, motas, & inchoatas, ac interim moven. cum omnibus earum incident., dependen. emergent., annexis, & connexis audire, decidere, & sine debito terminare, prout juris fuerit, seu causas ipsas alii, vel alijs idoneis modo, & forma praedictis cum simili, vel limitata potestate pariter audire, deciden., & terminan. delegare, ac denique plenam, meram, & omnimodam spirituales, & ecclesiasticas, ac ordinariam Jurisdictionem tam in foro interiori, quam exteriori habere, & eam, ac alia omnia, & singula, quae pro tempore existens Episcopus Sancti Salvatoris in illis partibus haecenus habere, gerere, & exercere debuit, potuit, & consuevit similiter, & pariformiter, nullaque prorsus differentia, exceptis tamen iis, quae, ut dictum est, sunt Ordinis, prout divini cultus augmento, ac ipsorum Cleri, & Populi animarum saluti expedire cognoverit, gerere, exercere, facere, & exequi libere, & licite valeat.

§. 6. Decernentes praesentes literas nullo unquam tempore ex quavis causa, etiam quod praedictus Episcopus S. Salvatoris, aut quomodolibet interesse habentes ad hoc vocati minime fuerint, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostrae, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari, aut in jus, vel controversiam vocari, nec contra illas restitutionem in integrum, reductionem ad terminos juris, aut quodvis aliud iustitiae, vel juris remedium impetrari posse, nec causas propter quas praemissa concessa fuerint, minime verificari, nec ob id viribus carere, minusque sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, limitationibus, suspensionibus, etiam eis in toto, vel in parte derogantibus, vel obviari. etiam a Nobis, & dicta Sede quomodolibet pro tempore emanatis nullatenus comprehendi, sed semper validas, & ab illis prorsus exceptas, & quoties illae emanabunt, aut sub eis quovis modo comprehendi viderentur, toties in pri-

Clausula.

stinum, & eum, in quo; antequam illa emanarent, erant statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo concessas esse, & censeri, & omni tempore suos plenarios, & integros effectus sortiri; sicque per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.7. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Apostolicis, & in Provincialibus, ac Synodalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & ordinationibus, nec non d. Ecclesie S. Salvatoris etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, ac fundatione, erectione, & Institutione; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis eidem Ecclesie S. Salvatoris, illiusque Præsuli pro tempore existenti, nec non Capitulo, & aliis personis prædictis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, ac aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolica potestate plenitudine, ac etiam consistorialiter, vel aliis quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, & individua, ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso, ac forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Incole huiusmodi Provinciarum in his, que sunt Ordinis Episcopalis, ad Episcopum S. Salvatoris recurrere debent.

Vicarius autem in Provincia de Peraiba residere;

Et in his que hic recensentur a præd. Episcopo deponere.

§.8. Volumus autem, ac statuimus, & ordinamus, quod Clerus, Populus, alique lucolæ, & Habitatores dictarum Provinciarum de Pernambuco, Peraiba, Itamaraca, & Rio grande in his, que sunt Ordinis ad prædictum Episcopum Sancti Salvatoris pro tempore existentem, habitis tamen a suo Vicario, seu Administratore ad id literis dimissorialibus, recurrere teneantur.

§.9. Quodque dictarum Provinciarum pro tempore deputatus Vicarius, seu Administrator, ut commodius cure, & regimini Cleri, & Populi earumdem Provinciarum intendere valeat, de cætero in Provincia de Peraiba, que sicut accepimus, in medio dictarum Provinciarum sita est, residere debeat, & ratione suæ personæ dumtaxat visitationi, correctioni, superioritati, & Jurisdictioni prædicti Episcopi S. Salvatoris pro tempore existentis subdit, & a sententiis definitivis tantum, seu vim definitivarum habentibus, & quorum gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat, per ipsam Vicarium, seu Administratorem, aut

eorum Officiales pro tempore latis appellationes ad eundem Episcopum S. Salvatoris pro tempore existentem interponi, ipsarumque appellationum causas per eum cognosci, decidi, & sine debito, prout juris fuerit, terminari possint.

Datum Romæ apud S. Mariam Majoris sub Annulo Piscatoris die 5 Julii 1614. Pont. Nostri Anno Decimo.

Dat. die 5 Julii 1614. An. X.

CCXXXVI.

Dismembratio nonnullorum reddituum ex Collegiis Maurorum Regni Valentie, qui officio inquisitionis ejusdem Regni adscribuntur.

Ex Regest. in Secret. Brev.

PAULUS PAPA QUINTUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. N Omine charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici Nobis nuper expositum fuit, quod præteritis temporibus, qui ex Mauris noviter ad fidem conversis originem ducebant, & in Regno Valentie commorabantur, ex conventionem inter ipsos, & Officium inquisitionis hæreticæ pravitatis in dicto Regno institutum inita, certam pecuniarum summam ad bis mille, & quingenta scuta monetæ illarum partium ascenden. Officio inquisitionis, illiusque officialibus, & ministris quot annis contribuere solebant.

Mauris Regni Valentie ad hanc christianam conversionem, qui pecunias nonnullas singulis annis Officio S. Inquisitionis continebant.

§.2. Non ita pridem vero de mandato dicti Philippi Regis illi omnes, qui ex Mauris noviter ad fidem conversis huiusmodi originem ducebant, & prædictum Regnum incolabant, ex ipso Regno expulsi fuerunt, quo factum est, ut Officium prædictum dicto annuo reddito defuitur onera sibi incumbenda supportare, ac officiales, & ministros prædictos sustentare nequeat.

Ab eodem Regno expulsis;

§.3. Si vero a duobus Collegiis, quæ in Civitate Valentie, unum scilicet pro Puellis, & alterum pro Puellis ex Mauris ad fidem noviter conversis prædictis descendentibus educandis, & in fide catholica erudiendis erecta fuerunt, & quæ futuris temporibus propter expulsionem huiusmodi verisimiliter Alumnis defuitur, tot redditus, quot ad valorem annuum bis mille, & quingentorum scutorum similium ascendunt separarentur, & dismembrarentur, illa iure sic separata, & dismembrata dicto Officio applicarentur, & appropriarentur, exinde Officium prædictum onera supportare, & officiales, & ministros huiusmodi sustentare valerent. Nobis propterea dicti Philippi Regis nomine fuit humiliter supplicatum, ut in præmissis opportune providere debentur dignitate apostolica dignaremur.

Philippus duorum Collegiorum, quæ pro his erecta fuerunt, redditus in summa 2000 scut. Officio eidem uniri petit.

§.4. Nos igitur Officium, ac officiales, & ministros prædictos, specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, &

Unit Paulus.

pe-

penis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, a Collegiis prædictis tot redditus, quot ad valorem annuum bis mille, & quingentorum scutorum dictæ monetæ ascendebant, ad nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum separamus, & dismembramus, illaque sic separata, & dismembrata, loco contributionis, ut præfertur fieri solita, dicto Officio pro supportandis illius oneribus, nec non Officialium, & Ministrorum huiusmodi sustentatione similiter ad nostrum, & Sedis apostolicæ beneplacitum applicamus.

Obstantia col. lit.

§.5. Non obstantibus Regula nostra de unionibus committendis ad partes, ac se. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, aliisque apostolicis, nec non in Universalibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, nec non dictorum Collegiorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis eidem Collegiis, illorumque superioribus, & personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis eorum omnium tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 8. Octob. 1614. An. X.

Datum Romæ apud S. Mariam Majoris sub Annulo Piscatoris die 8. Octobris 1614. Pontificatus nostri Anno X.

CCXXXVII.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Facultas Nuncio in Partibus Inferioris Germaniæ visitandi Civitatem, & Dioecesim Maguntinam.

Venerabili Fratri Antonio Episcopo Vigiliensi nostro, & Apostolicæ Sedis in Partibus Inferioris Germaniæ Nuncio.

PAULUS PAPA QUINTUS

Venerabilis Frater salutem, & Apostolicam benedictionem.

Episcopus Vigiliensis deputatur Visitator Apostolicus Dioecesis Maguntinæ.

§.1. Cupientes ad Animarum salutem, divinumque cultum promovendum Civitatem, & Dioecesim Maguntinam auctoritate nostra apostolica visitari, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, Tibi, de cujus integritate, prudentia, doctrina, & catholica Religionis zelo plurimum in Domino confidimus, per præsentem committimus, & mandamus, ut quam primum fieri poterit, te

ad Civitatem, & Dioecesim Maguntinam conferas, ac tamquam noster, & Apostolicæ Sedis Delegatus, tam Metropolitanam, quam Collegiatas, & alias quascumque Ecclesias, ac Monasteria tam virorum, quam mulierum quorumcumque, etiam Mendicantium Ordinum, etiam quocumque immunitatis, & exemptionis privilegio suffulta, ac Nobis, & apostolicæ Sedi mediate, vel immediate subiecta, in Civitate, & Dioecesi prædicta existentia, earumque Capitula, Conventus, Universitates, & Collegia, eorumque superiores, & personas etiam similiter exemptas, dictæque Sedi immediate subiectas, quoties tibi videbitur, auctoritate nostra visites.

Cum facultatibus hic expressis.

§.2. Ac in illorum statum, formam, regulas, instituta, regimen, Statuta, consuetudines, vitam, ritus, mores, & disciplinam tam conjunctim, quam divisim, ac tam in capite, quam in membris diligenter inquiras, nec non evangelicæ, & apostolicæ doctrinæ, Sacrorumque Canonum, & generalium Conciliorum Decretis, ac Sacrorum Patrum traditionibus, atque institutis inhærendo, & prout occasio, rerumque qualitas exegerit, quæcumque mutatione, correctione, emendatione, revocatione, & renovatione, ac etiam ex integro editione indigere cognoveris, reformes, mutes, corrigas, ac etiam de novo condas, condita Sacris Canonibus non repugnantia, confirmes, abusus quoscumque tollas, regulas, Institutiones, & Ecclesiasticam disciplinam, ac in primis divinum cultum, ubicumque exciderint, modis congruis restituas, & reintegres, Concilii Tridentini Decreta, ubi nondum introducta sunt, proponas, & custodiri præcipias, ipsaque personas tam seculares, quam regulares etiam exemptas, & subiectas, ut præfertur, ad debitum, & honestum vitæ modum, ac ad statum Sacris Canonibus, & Concilio Tridentino prædictis conformem, revoces, ac quidquid statueris, & ordinaris observari facias, inobedientes, & Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, & penas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, omni, & quacumque appellatione postposita, ac quibusvis subterfugiis, reclamationibus, protestationibus, atque recuribus prorsus cessantibus, & remotis, juxta Concilii Tridentini Decreta compellas, cogas, & compellas: nos enim tibi præmissa, & quæcumque alia, circa visitationem huiusmodi necessaria, & quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, gerendi, & exequendi, auctoritate prædicta, tenore præsentium, plenam, & absolutam facultatem, & auctoritatem concedimus, & impertimur.

§.3. Si quæ autem graviora in huiusmodi visitatione repereris, volumus, ut ea, nec non informationes omnes in huiusmodi visitatione sumendas, sub tuo sigillo clausas, ad nos quamprimum diligenter transmittas, ut id, quod in illis statuerimus, per præsentem committimus, & mandamus, ut quam primum fieri poterit, te

Graviores negotia ad Sedem Ap. referenda.

Man-

1614.

Obedientia
Vifitationi pre-
standa.

Alia facultates
extractas
navig.

§. 4. Mandantes propterea omnibus, & singulis Ecclesiarum, & Monasteriorum, & Locorum Regularium hujusmodi superioribus, quocumque nomine nuncupatis, & personis quibuscumque, ceterisque, ad quos spectat, ut tibi in premissis omnibus, & singulis prompte pareant, & obediant, tuoque salubria monita, & mandata suscipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris, seu statueris in Rebeldes, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam, inviolabiliter observari.

§. 5. Insuper, ut uberius salutis Animarum fructus proveniat, tibi, ut quascumque personas Civitatis, & Diocesis predictarum pauperes dumtaxat, & catholicas, que propriis manibus victum quaerunt, que tertio, & quarto consanguinitatis seu affinitatis gradibus conjuncta, seu se attinentes Matrimonia invicem, sive scienter, sive ignoranter contraxerint, etiam si carnali copula consummaverint, si abs Te veniam humiliter petierint, ab incestu reatu, & excessibus hujusmodi, ac excommunicationis, aliisque censuris, & poenis ecclesiasticis, & temporalibus per eos propter premissa incurris, imposta cuique eorum propter incestum hujusmodi arbitrio tuo, poenitentia salutari, in utroque foro abolere, & cum illis, ut impedimentis tertii, & quarti Consanguinitatis, seu Affinitatis graduum hujusmodi, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus, Matrimonia inter se publice, servata forma dicti Concilii, de novo contrahere, & in faciem Ecclesie solemnizare, & in eo, seu in contracto alias rite matrimonio, quoad vixerint, remanere libere, & licite valeant: dummodo mulieres propter hoc raptae non fuerint: dispensare distantiam vero tertii gradus hujusmodi, respectu quarti, eis non obstat declarare, prolesque exinde susceptas, & suscipiendas, legitimas decernere, atque nunciare, ac etiam iis, qui per Hæreticos illarum Partium, & aliis similiter, qui ante legitimam ætatem de Beneficiis Ecclesiasticis nulliter, & de facto provisi fuerint, beneficia ipsa, illis, dummodo tamen hæresis non adhererint, ac alias idonei, & in ætate legitima constituti existant, de novo, dicta auctoritate, conferre, & de illis etiam providere, illisque quoscumque fructus, redditus, & proventus, jura, obventiones, & emolumenta, ac etiam distributiones per eos ex eis indebite perceptas, gratiose remittere, & condonare. Præterea cum quibusvis Clericis, & personis Ecclesiasticis secularibus, & regularibus Civitatis, & Diocesis predictarum super irregularitatibus, & delictis occultis per eos, præterquam ex homicidio voluntario contractis, & exceptis aliis deductis ad Forum contentiosum, ita quod nondum promoti, omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, si alias idonei reperti fuerint, nec aliud illis Canonicum obstat im-

pedimentum, & ser vatis servandis, suscipere, & tam ipsi, quam alii in susceptis tamen rite Ordinibus hujusmodi, etiam in Altaris Ministerio ministrare, ac quæcumque, & qualiacumque Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, se invicem compatiencia, recipere, & illa, ac per eos alias Canonice obtenta, quoad vixerint, retinere, libere, & licite valeant, pariter dispensare possint, & valeas, auctoritate, & tenore predictis facultatem impertimur.

§. 6. Non obstantibus apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Locorum Regularium, ac Cisterciensium, & Præmonstratensium, nec non Cluniacensium, etiam Congregationis Busfeldrensis, & aliorum Ordinum, quorum illa extiterint, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, etiam mare Magnum nuncupat., & literis Apostolicis, illis, eorumque Capitulis, Conventibus, Superioribus, & quibusvis aliis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem.

Datum Tusculi sub Annulo Piscatoris die 17. Octobris 1614. Pont. Nostri Anno Decimo.

Derogatio
contrariarum.

Dat. die 17.
Octob. 1614.
An. X.

CCXXXVIII.

Confirmatio Concordiæ inter Regem Catholicum, & Clerum Regnorum Castellæ, & Legionis super solutione subsidii ducentorum, & quinquaginta millium ducatorum eidem Regi præstandi.

Ex Regest. in
Secret. brev.

PAULUS PAPA QUINTUS

Ad futuram rei memoriam.

PRO nostro munere in his partes nostras libenter interponimus, quæ ad Concordiam, & pacem inter Catholicos Reges, & ecclesiasticas personas super exactionibus apostolica auctoritate faciendis pertinere dignoscuntur.

Exordium.

Nuper

1614.

Capitula Ecclesiarum Castellæ, & Legionis Concordiam cum Philippo III. Rege in eunt super solutione primæ Decimæ eidem a Sede Apostolica concessæ;

Concordiæ tenor.

§. 1. Nuper siquidem, sicut Nobis exponi fecerunt charissimus in Christo filius noster Philippus III. Hispaniarum Rex Catholicus, ac dilecti filii singularum Toletanæ, Hispalen., Compostellan., Granaten., Burgen., Legionen., Palentin., Oveten., Corduben., Abulen., Astoricen., Pacen., Vallisoletan., Carthaginen., Calaguritan., Calecaten., Civitaten., Gadicens., Conchen., Zamoren., Cauren., Pamplonen., Guadixen., Giennen., Lucen., Mindonien., Malacitan., Auriem., Oxomen., Oriolen., Placentin., Segobien., Salamantin., Seguntin., Tuden., & Canarien. Ecclesiarum Capitula, quæ universum Clerum Regnorum Castellæ, & Legionis representant, considerantes dictus Philippus Rex, & Capitula prædicta, gratiam, & concessionem primæ decimæ quarumlibet distarum Ecclesiarum, & Parochialium in omnibus Hispaniarum Regnis, & Insulis illi adjacentibus, per dudum sel. recordat. Pium Papam Quintum Prædecessorem nostrum, clara memoria Philippo II. Hispaniarum Regi Catholico, ejusdem Philippi III. Regis Genitori, ad quinquennium concessam, & postea pluries a re: me: Gregorio XIII., & deinde a Sixto V., & postmodum a Gregorio XIV., ac denique a Clemente Octavo Prædecessoribus nostris etiam pluries, & ultima vice ad aliud quinquennium a tempore infra scriptæ concordiæ, instrumento, ut asseritur, expresso inchoatum, prorogatum, & extensum, prout in singulis eorumdem Prædecessorum desuper expeditis literis plenius continetur; si eisdem modo, & forma, quibus concessa est, executioni mandaretur, id non sine ejusdem Cleri incommodo exequi posset; cupientesque præmissis ea, qua potest ratione occurrerit, quo facilius illa, ad quæ tenentur, ab ipsis adimpleri valeant, ipsaque personæ ecclesiasticæ onus illis eam ob causam incumbens, supportare facilius possint, ad infra scriptam Concordiam per earum Procuratores ad hoc specialiter deputatos insimul devenerunt, videlicet.

§. 2. In primis, quod prædictus Status Ecclesiasticus Coronæ Castellæ, & Legionis darent, & solverent dicto Philippo Regi, seu personæ ab eo deputatæ ducentos, & quinquaginta mille ducatos, qui ascendunt ad numerum nonaginta trium computorum, & septingentorum quinquaginta millium morapetinarum, propriis, quæ ad hujusmodi effectum dicto Regi debentur, & ad eum spectant ratione dictorum Regnorum Castellæ, & Legionis, non comprehensis in dictis ducentis, & quinquaginta millibus ducatis Regnis Aragoniæ, Cathalonæ, & Valentie, ac Insulis illi adjacentibus, itaut dictus Philippus Rex ab illis possit exigere, prout sibi visum foret ex prorogatione hujusmodi provenien., excepta Ecclesia Oriolen., cujus dispositio, & pars ingreditur, & computatur una cum Statu Ecclesiastico Coronæ Castellæ: qui quidem ducenti, & quinquaginta mille ducati persolvi deberent, ut infra videlicet:

quoad fructus anni 1612. in duabus solutionibus equalibus, pro una in fine mensis Junii, & altera medietatibus in fine mensis Novembris subsequenti anni 1613.: quo vero ad fructus dicti anni 1613. in eisdem duabus solutionibus subsequenti anni 1614., & sic successive in tribus annis remanentibus, usque ad complementum dicti quinquennii, prædictæ prorogationis, quos dabant, & solvent suis sumptibus in Capitulis singularum Dioecesium, juxta, & secundum repartitionem infra scriptam inter se factam a prædicto Statu Ecclesiastico, duas partes in moneta aurea, sive argentea, aliam vero tertiam partem in moneta de Vellon nuncupata, absque eo quod in futurum trahatur in consequentiam, & quod id repartiat, & particulariter exigatur in quolibet Dioecesi ex redditibus decimilibus, & primitiis, quia super illis, & non aliis redditibus Ecclesiasticis sunt distribuendi, & exigendi in unoquoque dictorum quinque annorum prædicti ducenti, & quinquaginta mille Ducati, & ex tunc remanebant obligati, prout obligabant sua Capitula generaliter, & se obligarent, & obligari deberent specialiter pro toto dicto novo quinquennio ad illarum solutionem annis singulis juxta divisionem infra scriptam, videlicet: Capitulum Ecclesiæ Toletanæ pro se, & sua Dioecesi, tribus prioribus annis, solveret summam quatuordecim millionum, trecentorum, ac decem, & septem millium, nec non noningentorum, & viginquatuor morapetinarum, reliquis vero duobus annis quinquennii hujusmodi solveret summam quatuordecim millionum, & quingentorum millium, ac noningentorum, & triginta morapetinarum. Capitulum Ecclesiæ Hispalen. tribus prioribus annis, novem millionum, quadingentorum, & octuaginta octo millium, & quingentorum, ac quinquaginta morapetinarum, reliquis vero duobus annis quinquennii hujusmodi, novem millionum, noningentorum, nonaginta millium, & trecentorum triginta octo morapetinarum. Capitulum Ecclesiæ Salamantin. duorum millionum, & quadingentorum, ac sexaginta unius millium, & duodecim morapetinarum. Capitulum Ecclesiæ Zamoren. pro se, & sua Dioecesi, tribus prioribus annis, duorum millionum, & trecentorum, ac viginovem millium, & noningentorum, ac duodecim morapetinarum: reliquis vero duobus annis quinquennii hujusmodi, duorum millionum, ducentorum, octuaginta novem millium, ac ducentorum quinquaginta septem morapetinarum. Capitulum Ecclesiæ Seguntin. pro se, & sua Dioecesi, tribus prioribus annis, duorum millionum, noningentorum, & quatuordecim millium, ac centum, & viginovem morapetinarum: reliquis vero duobus annis quinquennii, duorum millionum, octingentorum, & quinquaginta trium millium, ac centum, & quadraginta septem morapetinarum. Capitulum Ecclesiæ Conchen. trium millionum, & noningentorum

X

rum